



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 147. Vtrum in notu locali Angeli vterque terminus, nimirum tum terminus à quo, tum terminus ad quem debeat esse posituius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

cedenti, est in termino ad quem; sed quia primò est in termino ad quem, ita ut ante illud tempus non esset in termino ad quem, sed in termino à quo, toto illo tempore mouetur. Si verò opponatur, quod saltem in secunda parte illius temporis non mouetur, quia est in loco, in quo erat in prima parte temporis: Respondeo, negando suppositum, quod nimirum in tempore, quo primò est in aliquo loco, dentur partes actuales, ut explicatum est num. 14.

QVÆSTIO CXLVII.

Utrum in motu locali Angeli uterque terminus, nimirum tum terminus à quo, tum terminus ad quem debeat esse positium?

1. **V**idetur angelus posse moueri, non solum à termino positium ad positium, puta ab vno loco in alium, sed etiam à termino negatiuo ad positium, & à termino positium ad negatiuum. Angelus enim existens in spatio palmari, remanendo in eodem spatio palmari, potest etiam occupare aliud spatium palmare proximum; sed per talem motum à negatione existendi in secundo palmo mouetur ad existendum in secundo palmo; ergo mouetur à termino negatiuo ad positium. Rursus angelus existens in spatio bipalmari, potest remanere in vno palmo, & desinere esse in altero palmo; sed tunc ab existendo in tali palmo mouetur ad non existendum in eodem palmo; ergo à termino positium mouetur ad negatiuum.

2. Secundo anima rationalis existens in corpore humano, cum digitus abscinditur, amittit vnionem cum illo digito, ac proinde ab vnione cum digito mutatur ad negationem talis vnionis, & à termino positium ad negatiuum: cum per nutritionem acquirit vnionem cum alijs partibus, quas acquirit, mutatur à negatione vnionis cū talibus partibus, ad vnionem cū iisdem partibus, ac proinde à termino negatiuo ad positium; ergo à pari.

3. Respondeo ex Aristotele 5. metaphys. t. 7. triplicem posse dari mutationem. Prima, est à termino positium ad positium, quam vocat à subiecto in subiectum, ut cum aqua ex calida fit frigida, vel ex frigida fit calida. Secunda est à termino negatiuo ad positium, quam vocat à non subiecto in subiectum, ut cum aer ex tenebroso, seu non lucido fit lucidus. Tertia est à termino positium ad negatiuum, quam vocat à subiecto in non subiectum, ut cum aer ex lucido fit tenebrosus, seu non lucidus. Queritur igitur, utrum angelus per motum localem semper moueatur à termino à quo positium in positium, an possit etiam aliquando moueri à termino purè negatiuo ad positium, vel à termino positium ad negatiuum?

4. Prima sententia, quam Suar. lib. 3. de Angelis cap. 16. num. 1. tribuit Bassolio in 2. dist. 2. quæst. 4. art. 1. docet angelum semper moueri localiter à termino positium ad positium.

5. Secunda sententia Suarij ibidem nu. 2. docet angelum posse moueri localiter omnibus tribus dictis modis, nimirum tum à termino positium ad positium, tum à negatiuo ad positium, tum à positium ad negatiuum.

6. Dicendum primò cum Suario contra Bassolium: angelus non solum potest moueri à loco ad locum, amittendo vnum locum, extrinsecum, & acquirendo alium, sed etiam potest moueri à non loco ad locum, nullum, amittendo locum, in quo ante esset, & solum acquirendo locum extrinsecum, in quo ante non erat, & à loco in non locum, amittendo aliquem locum extrinsecum, in quo ante erat, & nullum acquirendo locum extrinsecum, in quo ante non erat.

7. Probat, & explicatur: & primò ostenditur, quod angelus possit moueri à loco ad locum, amittendo locum, in quo erat, & acquirendo locum, in quo non erat. Angelus enim existens in loco palmari e. g. potest relinquere locum palmarem, in quo erat, & acquirere alium locum palmarem proximum. Addo, quod potest moueri, relinquendo totum locum, in quo erat, & acquirendo locum contradistinctum: vt si relinquat totum palmum, in quo erat, acquirendo palmum proximum contradistinctum. Potest etiam moueri, relinquendo solam partem loci, in quo erat, & acquirendo aliquem locum, in quo non erat: vt cum non relinquit totum palmum, in quo erat, sed solum semipalmum, & acquirit semipalmum proximum. In vtroque casu mouetur à loco ad locum, à termino positium ad positium, relinquendo vnum terminum, & locum, & acquirendo alium.

8. Secundo ostenditur, quod angelus possit moueri à non loco ad locum, acquirendo locum extrinsecum, in quo ante non erat, & non relinquendo vllum locum extrinsecum, in quo ante esset. Vt enim q. 14. num. 11. cum S. Thoma, alijsque communiter dictum est contra Bassolium, Angelus non necessario est in loco adæquato, sed potest se liberè constituere in loco minori, & minori in infinitum, & etiam in puncto. Ponamus igitur, quod locus adæquatus angeli sit sphaericus, cuius sphaerae diameter sit centumpalmaris, ac angelus liberè se constituerit in loco sphaerico minori, cuius sphaerae diameter sit decempalmaris. Angelus remanens in illa sphaera minori, potest se liberè quodammodo extendere ad locum suum adæquatum, hoc est ad locum sphaericum maiorem, cuius sphaerae diameter sit centumpalmaris; sed in hoc casu mouebitur ad occupandum locum maiorem, nihil amittendo loci, in quo ante erat; ergo mouebitur à negatione loci

ex-

extrinseci ad locum extrinsecum, nihil amittendo loci, in quo ante erat.

9. Eodem pacto ostenditur, quod possit angelus moueri à loco extrinsecò ad non locum, amittendo aliquem locum extrinsecum, in quo ante erat. Nam si occupet locum sphericum, cuius sphaerae diameter sit centum palmaris, & liberè se contrahat ad minorem sphaeram inclusam in maiore, vel ad centrum talis sphaerae, amittet locum maiorem, in quo ante erat, & nullum acquirat locum, in quo ante non erat, ac proinde mouebitur à loco extrinsecò ad non locum extrinsecum.

10. Dicendum secundo contra Suarium: Angelus non potest localiter moueri, quin aliquam vocationem intrinsecam acquirat, & aliam amittat, ac proinde quin moueatur ex termino positiuo ad positiuum. Probat: nam vt q. 139. dictum est contra Suarium, angelus est in loco etiam diuisibili per vocationem indiuisibilem, quæ tota est in toto loco, tota in qualibet parte loci corporei; ergo cum ex minori loco extrinsecò, toto retento, mouetur ad occupandum maiorem, amittit illam vocationem indiuisibilem, per quam erat in loco minori, & acquirat aliam, per quam constituitur in loco maiori: & dum ex loco maiori contrahitur ad minorem, in quo etiam ante erat, amittit illam vocationem indiuisibilem, per quam erat in loco maiori, & acquirat aliam, per quam est solum in minori. Suarius cum doceat angelum vocationem in loco diuisibili per vocationem proportionaliter diuisibilem, consequenter concedit, quod angelus, cum contrahitur à loco maiore ad minorem, amittit partem illam vocationis, quæ erat in loco extrinsecò, quem relinquit, retenta illa parte, per quam erat in loco, quem retinet, ac proinde mouetur ab vocatione ad non vocationem: & cum à loco minore, eo retento, extenditur ad maiorem, retinet vocationem, per quam erat in loco minori, & acquirat vocationem partialem, per quam occupet nouum locum, & sic à non vocatione mouetur ad vocationem.

11. Ad 1. Argumentum probat solum, quod angelus possit moueri, non solum à loco ad locum, relinquendo vnum locum extrinsecum, & acquirendo alium, sed etiam à non loco ad locum, nullum locum relinquendo, & acquirendo nouum locum extrinsecum; & à loco ad non locum, relinquendo aliquem locum, ac nullum locum de nouo acquirendo, quod vtrò concedimus. At non probat angelum posse moueri à non vocatione ad vocationem, nullam vocationem intrinsecam relinquendo, & aliquam vocationem acquirendo; vel ab vocatione ad non vocationem, relinquendo aliquam vocationem, ac nullam acquirendo de nouo, quod solum negamus.

12. Ad 2. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia anima rationalis vnitur corpori diuisibili vnione di-

uisibili, ac proinde potest amittere vnionem cum aliqua parte, non acquirendo vnionem cum alia parte, & potest acquirere vnionem cum aliqua noua parte, non amittendo vnionem cum alia parte. At angelus est in loco diuisibili per vocationem indiuisibilem, vt dictum est quæst. 139. ac proinde non potest amittere vniam vocationem, quin acquirat aliam, nec potest acquirere vniam vocationem, quin amittat aliam &c.

TRACTATVS XI.

De intellectu, & voluntate, cognitione, & dilectione Angelorum.

QVÆSTIO CXLVIII.

Virum Angeli intelligant per intellectionem, & intellectum ab ipsis distinctum?

S. Th. q. 54. art. 2. 3. 4. & 5.

1. Videtur, quod angeli intelligant per intellectionem secum identificatam: primo quia, vt arguit Aristoteles 12. metaph. t. 50. si angeli intelligerent per intellectionem distinctam, intelligendo fatigarentur, sicut homines fatigantur.

2. Secundo si angeli intelligerent per intellectionem distinctam, perficerentur intellectione, & non essent substantiæ nobilissimæ, ac intellectio, vt potest perficiens, esset perfectior substantia angeli, quæ perficitur.

3. Tertiò videtur, quod angeli saltem se ipsos intelligant per intellectionem indistinctam. Cum enim extrema sunt idem, etiam medium, per quod talia extrema coniunguntur, debet esse idem; sed in Angelis in quantum intelligunt se ipsos, extrema hoc est intelligens, & obiectum intellectum sunt idem; ergo etiam intellectio, qua cognoscunt se ipsos, debet esse idem.

4. Quartò sicut non potest aliquid physice vniri sibi ipsi per vnionem distinctam; sic neque potest intentionaliter vniri sibi ipsi per vnionem distinctam; sed intellectio est quædam vnio intelligentis cum obiecto intellecto; ergo. Ex hac autem ratione angeli videntur vocari Intelligentiæ, quia sunt intellectio actualis sui ipsius.

5. Quintò videtur vera sententia Durandi in 3. quæst. 3. quod licet intellectus, & voluntas distinguantur ab anima rationali, tamen non debeant distingui ab angelo. Ideo enim intellectus, & voluntas debent distingui ab anima, quia anima est actus corporis, intellectus, & voluntas non sunt actus corporis; sed hæc ratio non valet de angelis, qui non sunt actus vilius corporis; ergo.

6. Sex;